



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

LE ⁹
TAVOLE DI FONDAZIONE
DEL
COLLEGIO ALBERONI

PUBBLICATE E RACCOMANDATE
AL
MUNICIPIO DI PIACENZA
DA
STEFANO BERSANI



PIACENZA
TIPOGRAFIA FRANCESCO SOLARI
1867.

8255.666 49
9



Piacenza - Collegio Alberoni di San Vago.

LE
TAVOLE DI FONDAZIONE
DEL
COLLEGIO ALBERONI

PUBBLICATE E RACCOMANDATE

AL

MUNICIPIO DI PIACENZA

DA

STEFANO BERSANI

roxo

PIACENZA
TIPOGRAFIA FRANCESCO SOLARI
1867.



AVVERTENZA

Le Tavole di fondazione del Collegio Alberoni sono :

1.^a *La Bolla di Papa Clemente XII, data il giorno 13 luglio 1732, che comincia* — CLERICALEM VITAM ELIGENTIBUS :

2.^a *Il Breve dello stesso Papa, dato il giorno 3 febbraio 1733, che comincia* — IN APOSTOLICÆ DIGNITATIS FASTIGIO :

3.^a *Una seconda Bolla del medesimo Papa Clemente XII, data il giorno 14 gennaio 1734, che comincia colle stesse parole della prima* — CLERICALEM VITAM ELIGENTIBUS :

4.^a *Un Chirografo del Cardinale Giulio Alberoni, dato il giorno 2 agosto 1737 :*

Tutti questi documenti si trovano intieramente riportati in un Breve di Papa Benedetto XIV, dato il giorno 23 febbraio 1746, che comincia con queste parole — IN SUBLIMI.

5.^a *Il Testamento del Cardinale Alberoni del giorno 31 Maggio 1752.*

La prima Bolla CLERICALEM contiene propriamente essa sola l'atto di fondazione dell'Istituto Alberoniano : e l'anno 1732 è per conseguenza il vero anno di questa fondazione. Imperocchè questa Bolla sop-

prime l'ospedale di s. Lazaro, erige in suo luogo un Collegio Ecclesiastico sotto lo stesso titolo di s. Lazaro; a questo Collegio si attribuiscono i Beni del soppresso ospedale; e pare eziandio che sufficientemente si proveggia al governo ed amministrazione del novello Istituto, dichiarandosi che detto governo ed amministrazione dovrà esercitarsi da preti secolari da scegliersi e deputarsi dallo stesso Giulio Cardinale Alberoni e suoi successori in perpetuo.

Il Cardinale Alberoni domandò ed ottenne questa fondazione in qualità di Ministro, ossia Amministratore dell'antico ospedale di s. Lazaro; il quale ufficio costituiva un Benefizio, denominato anche commenda di s. Lazaro, che, non essendo soppresso per questa Bolla, poteva dare successori al Cardinale: e si dichiara espressamente che il detto Cardinale e suoi successori avrebbero continuato a godere delle rendite di questo Benefizio ed esercitare sul Collegio quella piena giurisdizione che sul soppresso ospedale esercitavano gli antichi amministratori del medesimo.

Il Breve IN APOSTOLICÆ contiene l'atto di elezione e deputazione dei Preti della Missione al governo ed amministrazione del nuovo Collegio. È una specie di contratto stipulato tra il Cardinale e i suddetti Preti, approvato e confermato dal Papa con le condizioni concertate fra le parti contraenti. In queste condizioni la terza e la quarta meritano particolare attenzione.

La seconda Bolla CLERICALEM contiene l'atto di soppressione della commenda di s. Lazaro, e conferma tutto quello che è stabilito nella prima Bolla e

nel Breve precedente, eccettuato quello che riguarda i successori del Cardinale, perchè, soppresso quel Benefizio, rimaneva estinta ogni successione. Perciò anche i Beni del detto Benefizio doveano dopo la morte del Cardinale essere incorporati a quelli del Collegio. A senso di questa Bolla, dopo la morte dell'Alberoni, tutta quanta la giurisdizione sul Collegio dovea concentrarsi nei Preti che ne erano stati nominati direttori ed amministratori.

Il Chirografo del Cardinale non è che una obbligazione, scritta e consegnata da lui ai Missionari, nella quale rinnova e conferma la loro nomina e deputazione al governo del suo Collegio, riserbando a sè solo, sua vita naturale durante, e a tenore della Bolla precedente, una piena giurisdizione sul medesimo Collegio.

Sul timore che il Cardinale Alberoni, già decrepito, venisse a morte senza far testamento e senza provvedere il suo Collegio di rendite sufficienti al mantenimento gratuito di sessanta poveri chierici, come si era obbligato, il Pontefice Benedetto XIV nel 1746 dettava il Breve IN SUBLIMI nel quale si dispone che nel caso supposto gli amministratori del Collegio prendano possesso non solo di tutti i Beni del soppresso ospedale, ma delle fabbriche e mobili e provvigioni d'ogni genere, già preparate e destinate dal Cardinale al suo Collegio. E giacchè nel supposto caso le rendite del Collegio non sarebbero state sufficienti al mantenimento di sessanta alunni, si limita il loro numero a dieci. Ma questa supposizione non si è avverata, perchè l'Alberoni un mese prima di morire fece

il suo testamento col quale istituì suo Erede universale lo stesso Collegio.

Il Collegio Alberoni adunque non venne fondato per atto del testamento: e per lo meno è evidente che questo testamento non è l'unica tavola di fondazione dell'Istituto alberoniano; il quale, fondato vent'anni innanzi, già era aperto, amministrato e governato dai Missionari, e possedeva i suoi statuti, pubblicati per le stampe nel 1751, cioè un anno prima della data del testamento.

Oltre all'atto principale, che è quello di dotare il Collegio già costituito, il testamento dello Alberoni contiene un numero grande di minute e precise disposizioni circa la disciplina e gli studii degli alunni e circa il sistema amministrativo dei Beni; e specialmente merita di essere considerato l'impegno straordinario che quel grand'uomo, inpareggiabile nella scienza pratica amministrativa, pone nel raccomandare ed ordinare che tutte le rendite del suo Collegio debbano sempre essere il prodotto di beni rurali, quasi che egli giudicasse essere questa una condizione indispensabile alla perpetua sussistenza del suo Istituto.

In questo documento sono descritti tutti i Beni che formano l'Eredità dell'Alberoni; ma non vi si fa parola dei Beni dell'antico ospedale e della commenda di s. Lazaro, perchè già appartenevano di diritto al Collegio.

Nel caso poi che il testamento del Cardinale si possa o si voglia considerare come unica tavola di fondazione, anche per questo solo documento il Collegio Alberoni è sufficientemente provveduto di ammini-

strazione in perpetuo eziandio nella supposizione che venisse a mancare la persona morale alla quale il Fondatore ne affidava l'esercizio immediato.

Allo scopo di persuadere e conciliare gli animi nella verità pubblichiamo tutti questi documenti e li dedichiamo specialmente al Municipio di Piacenza, che in primo luogo è chiamato dal benefico Fondatore a godere i frutti dell'Istituto Alberoniano.

Preghiamo quell'ononevole Consiglio a considerare che la questione amministrativa suscitata dalla Deputazione Provinciale potrebbe provocare una lite domestica, in ogni caso dannosa alla causa del Collegio. Imperocchè in questi stessi documenti l'Autorità ecclesiastica trova ragioni che potrebbero grandemente indebolire e fors' anche annientare l'azione della benemerita Deputazione. E quantunque la prelodata ecclesiastica Autorità e nella natura dell'Istituto, e nelle tavole di fondazione, e nelle leggi vigenti abbia buoni e validissimi argomenti a salvarlo dalla conversione dei Beni, essa troverebbe oggi ostacoli gravissimi a far valere le sue ragioni: e quando anche pervenisse ad un completo trionfo, non potrebbe giammai sottrarre il Collegio alla tassa di concorso pel fondo del Culto: e ne verrebbe questo caso singolare, che, mentre la legge impone quella tassa di concorso per supplire col superfluo degli uni al bisogno degli altri, qui si toglierebbe e si manderebbe alla cassa del culto tutto ciò che è espressamente destinato ai bisognosi di Piacenza: la qual cosa è evidentemente contraria al diritto dei cittadini. Ne verrebbe quest'altro assurdo incredibile che, mentre le Opere Pie hanno per legge

il favore di essere gravate d'imposte il meno possibile, il solo Collegio Alberoni pagherebbe il massimo della tassa di concorso; e sarebbero circa ventimila lire annue distratte dallo scopo a cui l'Alberoni le ha destinate.

Il Municipio di Piacenza, a nostro avviso, più di qualunque altro Corpo Autorevole, sarebbe oggi in grado di salvare il Collegio da qualunque effetto della legge 7 Luglio 1866, limitandosi a sostenere il diritto de' cittadini consegnato nei documenti che pubblichiamo.



**Dilecto Filio moderno, et pro tempore existenti Generali Nostro
in Spiritualibus, et Temporalibus Vicario et Locumtenenti Me-
tropolitanae Ecclesiae Nostrae Bononiensis, sive Nostro in ead-
dem Metropolitana Ecclesia Bononiensi pro tempore Successori
Archiepiscopo.**

BENEDICTUS PP. XIV.

**Dilecte Fili, sive Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam
Benedictionem.**

IN SUBLIMI Catholicae Ecclesiae specula per ineffabilem Di-
vinae Bonitatis abundantiam constitutos Nos decet, ut quemad-
modum supremas Apostolicae sollicitudinis providentiae et Aucto-
ritatis partes ad prosperum omnium totius Catholici Orbis Ec-
clesiarum tranquillitatem, pacem, et regimen suaviter fortiterque
procurandum conciliandum confirmandumque libenter collocare
tenemur, ita peculiari quodam iure, praeter caetera rationum
momenta, ex eo potissimum quod Metropolitanam Ecclesiam Bo-
noniensem alias Nobis, dum in minoribus essemus, Spirituali
foedere coniunctam, adhuc cum gravissimo Sacrosancti Aposto-
latus onere retinemus, obstricti, libentiori animo ad rectam to-
tius Bononiensis Provinciae procuracionem providentissime ad-
ministrandam omnia Apostolicae servitutis potestatisque Officia
conferre satagamus.

**Itaque dilectus Filius Noster Julius Tituli tunc S. Chryso-
goni, nunc S. Laurentii in Lucina Presbyter S. R. E. Cardinalis
Alberonus nuncupatus, cum, sicut accepimus, Hospitale sub Titulo**

S. Lazari prope et extra muros Civitatis Placentiae, quae ad Supremum et Directum huius Apostolicae Sedis Dominium pertinet, Provinciae nostrae Bononiensis situm Rectore et Administratore carens, abs se, quoad vixisset, tenendum, regendum et administrandum Auctoritate Apostolica commissum et concessum accepisset, reputans saluberrimum fore, si redditus, et proventus, aliaque emolumenta, quibus dictum Hospitale instructum reperiebatur, in alios potius usus, quam pro iis, pro quibus fundatum institutumque fuerat, cum eadem causae ad eiusdem fundationem institutionemque ab initio urgentes tunc temporis fere nullae essent, converterentur a fel. rec. Clemente PP. XII. Praedecessore Nostro obtinuit, ut suppressa ac penitus extincta dicti Hospitalis denominatione in Collegium pro erudiendis instruendisque Saecularibus Clericis erigeretur, ipsiusque Hospitalis Bona, aliaque ab eodem Julio Cardinali, sive collata, sive conferenda commoda et redditus ad Collegium huiusmodi pertinerent, et alias prout fusius, uberiusque continetur in hinc sub plumbo, et unis in forma Brevis Apostolicis Litteris ab ipso Clemente Praedecessore datis, quarum tenores sunt, qui sequuntur:

— CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

CLERICALEM VITAM eligentibus, Sanctisque Ecclesiae regulis, et doctrinis a primo aetatis flore imbuendis opem ac strenuam manum admovere cogitantibus Apostolicum adesse praesidium maxime convenit, ne ullus adversitatis incursus futuros Dei Ministros a proposito revocet, neve unquam in eorum animis, quod absit, robur sacrae Institutionis infringat.

Itaque Hospitale pauperum Sancti Lazari prope, et extra moenia Civitatis Placentiae Provinciae Bononiensis, quod dudum certo tunc expresso modo Administratore, seu Rectore carens, Nos dilecto Filio Nostro Julio Tituli Sancti Crysgoni Presbytero Cardinali Alberono nuncupato, per eum, quoad vixerit,

juxta Constitutionem fel. rec. Clementis Pape V Praecessoris Nostri in Concilio Viennensi aeditam, tenendum, regendum, et administrandum, Apostolica auctoritate commisimus, in quo olim pauperes Leprosi ex Christiana charitate recepti curabantur: Cessante vero postmodum Leprae morbo, nec per Italiam amplius grassante, cum a dicti Hospitalis Rectoribus, et Administratoribus loco Leprosorum, Pauperes Senes invalidi, ac etiam iuvenes utriusque sexus ibidem admitterentur, licet Hospitale praedictum per plures annos non modicum utilitatis pauperibus Dioecesis Placentinae Provinciae praedictae attulerit, et nihilominus tractu temporis ex diversitate in eo commorantium non levia incommoda prodierint, dictusque Julius Cardinalis, qui ex praedicta Civitate Placentina natales accepit, porrectis Nobis humilibus precibus, Hospitale praedictum in meliorem et longe utiliore statum ad Dei Gloriam, publicumque Ecclesiae bonum, ex redditibus dicti Hospitalis, ac etiam aere Suo convertere proposuerit, pro Sua pietate, et rerum gerendarum prudentia, pristinam in Ecclesiae Ministris disciplinam et mores pro dignitate reparare atque instaurare cupiens, in eodem Hospitali Collegium pro Clericis Saecularibus universae Dioecesis praedictae ante illorum ad Sacros Ordines promotionem Spiritualia Exercitia peracturis, et pro aliis Clericis pariter Saecularibus, qui studiis suis nondum completis ex Seminario Dioecesano dimissi fuerint, ac pro aliis Alumnis seu Convictoribus, tam dicti Seminarii, quam totius Dioecesis studiis perinde Ecclesiasticis, sacrisque Ritibus imbuen-

dis ut infra, per Nos erigi et institui plurimum desideret.

Nos eiusdem Julii Cardinalis laudabile propositum, piisque desiderium plurimum in Domino commendantes, ac Clericis praefatis specialem gratiam facere volentes, dictique Hospitalis foundationem et institutionem, etiam si illae Apostolica Auctoritate confectae fuissent, nec non Hospitalis praefati statuta Apostolicae Sedis Auctoritate etiam pluries confirmata et approbata, ac pias ultimas voluntates quas-cumque quorumcumque pie testantium et donationes ac largitiones Christifidelium in dicti Hospitalis bonum quandocumque et cum quibusvis oneribus et obligationibus factas, etiam per quemvis Contractum nominatum, vel innominatum, ac speciem transactionis habentem, praesentibus pro plene, et sufficienter, ac de verbo ad verbum expressis habentes, illarumque omnium, et singularum dispositionibus, contractibus, transactionibus, conventionibus, quantumvis validis, et efficacibus, et pias publicasque causas respicientibus, ac validi et inter pie testantes, ac Christifideles, et Hospitale huiusmodi initi contractus vim habentibus, et quomodolibet stipulatis derogantes motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae Potestatis plenitudine Nostris, omnes et singulas personas, quae nunc in eodem Hospitali reperiuntur, adsignata prius cuilibet earum annua praestatione ad eorum, et cuilibet illorum naturalem vitam duratura, ac de sex mensibus in sex menses anticipate persolvenda centum quinquaginta librarum monetae Placentinae, nec non Ministros

dicti Hospitalis, retentis tantum ex eis illis, quos dictus Julius Cardinalis Collegio, ut infra erigendo, inservire idoneos putaverit, et quoad dilectum Filium nunc existentem Hospitalis huiusmodi Rectorem curam animarum annexam habentem, ipse donec, et quousque de aliquo perpetuo Beneficio Ecclesiastico, ad Sui congruam sustentationem sufficienti provisos, aut ei pensio annua perpetua sufficiens, Apostolica Auctoritate reservata, seu Congrua alimentaria arbitrio Venerabilis Fratris Episcopi Placentini, sive eius Vicarii in spiritualibus Generalis, taxanda, assignata fuerit, ab Hospitali praefato amoveri non possit, Apostolica Auctoritate perpetuo amovemus. Dictum verum Hospitale, et omnia ac singula eius onera, ac pia opera in vim cuiuscumque, etiam testamentariae dispositionis ex causa mortis confectae, et in executionem ultimarum piarum voluntatum, nec non commune, et publicum bonum, ac commodum respicientis, aut alias omnino adimplendae, etiam vigore cuiusvis contractus, Consensu dicti Julii Cardinalis Nobis praestito, Apostolica Auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus, eadem Auctoritate, ac motu pari, similiter perpetuo in Hospitali sic suppresso, et extincto erigentes, atque instituentes Collegium sub denominatione, ac Titulo eiusdem Sancti Lazari per dictum Julium Cardinalem, eiusque Successores perpetuo regendum, et gubernandum, etiam per Ministros, et Officiales, Sibi, suisque Successoribus benevisos, ac unum Rectorem Saecularem Presbyterum ad ipsius Julii Cardinalis, et eius Successorum nutum semper, et quando-

cumque amovibilem deputandum, etiam ad curam
 animarum Parochianorum Ecclesiae praefati S. La-
 zari iamdudum dicto Hospitali suppresso unitam,
 de gremio tamen, post deputationem praefati Rectoris,
 Collegii erigendi ad instar nominationum, quae a Re-
 gularibus pro assumendis Presbyteris ad animarum
 curam in eorum Ecclesiis Parochialibus fieri solent,
 et ab Ordinario Loci ad eandem curam Animarum
 exercendam approbandi, praedicta cautione, quoad
 iam existentem Rectorem Curatum salva, et illaesa
 remanente: ad hoc ut in Collegio erigendo recipi
 valeant Clerici saeculares universae Dioecesis praefa-
 tae ad Sacros Ordines promovendi, ut ipsi in illo
 Spiritualia Exercitia antequam ad quemlibet ex Sa-
 cris Ordinibus promoveantur, rite peragere valeant,
 quique ad Collegium, ut infra erigendum, cum ap-
 probatione Episcopi, seu Vicarii praefatorum admitti
 debeant, quique pro suis alimentis, durantibus Ex-
 exercitiis praefatis, ab eis suscipiendis, congruam ac
 debitam praestationem iuxta temporum opportunita-
 tem solvere teneantur. Alii vero Clerici ex Seminarii
 Placentini Alumnis, et Convictoribus studia Sacrarum
 Litterarum ac Theologiae theoreticae et practicae pro-
 sequantur, Venerandosque ritus Ecclesiasticos, sacras
 Caeremonias, et Cantum Gregorianum sub Praecep-
 toribus, qui sint Presbyteri Saeculares in Sacra pa-
 gina, ac verbo Dei scripto, et tradito probe eruditi,
 perdiscant, et ipsi Clerici hoc pacto imbuendi ex
 Alumnis pro tempore existentibus dicti Seminarii prae
 aliis quibuscumque selecti gratis admittantur, atque
 ex Convictoribus ibidem existentibus assumendi, ea-

dem praelatione pariter frui debeant , ac sub iusto annuo stipendio recipiantur; Hac tamen conditione, ne Alumni et Convictores praefati sine praevia approbatione Episcopi, seu Vicarj huiusmodi in praefatum Collegium erigendum admitti possint , atque sub regimine Presbyterorum Saecularium a dicto Julio Cardinali, eiusque successoribus eligendorum, et deputandorum vivere teneantur.

Collegio autem sic erecto, et instituto pro illius, ac Clericorum in eo retinendorum nec non Rectoris, praelectorum Magistrorum, aliorumque loci Ministrorum sustentatione omnia, et singula Bona, res, proprietates, et Actiones ad Hospitale suppressum, Rectoremque Curatum respective antea quomodolibet spectantia, tamen ab omnibus, et quibuscumque oneribus, et obligationibus quorumcumque piorum operum adimplendorum a pie testantibus, aliisque Christifidelibus praefatis causa mortis, aut in actu donationum, quae dicuntur fieri inter vivos, quomodolibet iniunctis, penitus, et omnino eximentes, et liberantes, illorumque omnium, et singulorum fructus, redditus, et proventus, qui antea in Hospitalis suppressi usum impendebantur quique, ut accepimus, octodecim millium librarum monetae Placentinae valorem annum non excedunt, praefato Julio Cardinali, sive eius Procuratori deputando, ut bonorum, rerum, et proprietatum huiusmodi veram, realem, et actualem possessionem Nomine dicti Collegii apprehendere, et apprehensam retinere possit, Dioecesani loci, vel cuiusvis alterius facultate minime in his requisita, eadem auctoritate perpetuo applicamus, et appropriamus.

Amotionem vero, suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, applicationem, et appropriationem praefatas, nec non easdem praesentes Litteras semper, et perpetuo validas, et efficaces fore, et esse, et ab omnibus ad quos spectat observari debere, nec illas ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, sive intentionis Nostrae, aut quopiam alio quantumvis substantiali defectu, etiam ex eo, quod causae, propter quas illae emanarunt, sufficienter adductae, examinaetae, verificatae, et approbatae, et quicumque in praemissis, et circa ea interesse quomodolibet habentes ad id vocati, et auditi non fuerint, nec iisdem praemissis consensum suum praestiterint, notari, impugnari, retardari, invalidari, suspendi, annullari, aut ad viam, et terminos iuris reduci, aut adversus eas quodcumque iuris aut gratiae remedium impetrari umquam posse, nec illas sub quibusvis similium aut dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendendi; sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quodcumque eligenda concessas, semper, et perpetuo validas, et efficaces fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque, et non alias per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios ac alios

quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, et privilegio fungentes sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, definiri, et interpretari debere; et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter; vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decernimus.

Non obstantibus quatenus opus sit, Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis de jure quaesito non tollendo, ac de gratiis non concedendis ad instar et Lateranensis Concilii novissime celebrati, suppressiones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, et in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, dictique Hospitalis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Literis Apostolicis eidem Hospitali, ut praefertur suppresso illiusque Rectori, et Superioribus, alias in contrarium praemissorum etiam pluries concessis, approbatis, et innovatis, nec non eiusdem Hospitalis fundatione, et institutione, ac piis ultimis voluntatibus praefatis, et quibuscumque contractibus. Quibus omnibus, et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio servanda foret, eorum tenores his eisdem praesentibus, etiam pro plene, et

sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, hac vice dumtaxat derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut dictus Julius Cardinalis, ejusque Successores praefati perceptione omnium, et singulorum fructuum, reddituum, et proventuum, hucusque per eundem Julium Cardinalem percipi solitorum, ac juribus, et praeminentiis universis, quibus ipse Julius Cardinalis hactenus gavisus fuit, nec non plena, et omnimoda jurisdictione super Collegio, ut praefertur erecto frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae amotionis, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentari praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursum. = Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo trigesimo secundo tertio Idus Julii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

= A. Card. Prodatarius. F. Card. Oliverius. =

CLEMENS PAPA XII. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

IN APOSTOLICAE dignitatis fastigio, nullis licet meritorum Nostrorum suffragiis, per ineffabilem Divi-

nae bonitatis abundantiam constituti, circa Collegiorum ad piam rectamque Adolescentium, aliorumque in sortem Domini vocatorum educationem recenter erectorum statum, felicemque progressum libenter intendimus, et ut Christifidelium quorumcumque, praesertim sublimi Cardinalatus honore fulgentium in eum finem operam suam, ac bona sibi a Deo collata liberaliter conferentium, vota optatos habeant effectus concessae Nobis a Domino potestatis partes studiosa charitate interponimus, sicut, omnibus maturae considerationis trutina perpensis, salubriter expedire arbitramur.

Alias siquidem postquam Hospitale sub Titulo Sancti Lazari prope et extra muros Civitatis Placentinae Provinciae Bononiensis situm, quod dudum administratore, seu Rectore caruerat, dilecto Filio Nostro Julio Tituli Sancti Chrysogoni S. R. E. Presbytero Cardinali Alberono nuncupato, per eum quoad viveret, juxta Constitutionem felic. rec. Clementis Papae V. Praedecessoris Nostri in Concilio Viennensi editam, tenendum, regendum, et administrandum Auctoritate Apostolica commiseramus, seu concesseramus, per Nos accepto quod dictum Hospitale olim quidem Leprosi curandis destinatum fuerat, verum ubi morbus hujusmodi per Italiam grassari desierat, vice, ac loco Leprosorum, egeni primum, et infirmi Senes illuc introduci coeperant, ac demum postremis temporibus utriusque sexus, atque cujusvis aetatis pauperes invalidi ipsius Placentinae Civitatis, et Dioecesis passim receptarentur, adeo ut etsi idem Hospitale aliquando non modicum utilitatis, ac levamenti

attulisset, progressu tamen temporis ex diversitate sexus, et aetatis hujusmodi non levia incommoda orta essent, ipse vero Julius Cardinalis, qui in ea Civitate, illisve partibus ortus, et educatus erat, ac Hospitale praefatum in meliorem, et longe utilio-rem statum ad Dei Gloriam, publicumque Ecclesiae bonum, tum ejusdem Hospitalis proventibus, tum aere suo convertere, priscamque in Altaris Ministris disciplinam, et mores pro dignitate, quantum in se erat, in patria sua reparare, atque instaurare sibi proposuerat, ex dicto Hospitali Collegium pro Clericis Secularibus universae Dioecesis praefatae, qui Spiritualibus Exercitiis vacare debeant priusquam a Sacros Ordines promoverentur, quique ante completa literarum studia ex Seminario Ecclesiastico Placentino egrediebantur, nec non pro aliis Alumnis, seu Convictoribus, tam dicti Seminarii, quam totius Dioecesis studiis Ecclesiasticis, Sacrisque Ritibus ibidem imbuendis, institui summopere desiderabat.

Nos pium, ac laudabile ejusdem Julii Cardinalis propositum plurimum in Domino commendantes, motu proprio, ac ex certa scientia Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine omnes, et singulas Personas, quae tunc in dicto Hospitali reperiebantur, assignata prius unicuique earum annua praestatione ad sui vitam duratura, ac de semestri in semestre anticipate persolvenda centum quinquaginta librarum monetae Placentinae, nec non Ministros (retentis tamen ex iis, quos ipse Julius Cardinalis servitiis dicti Collegii aptos, et idoneos censeret) atque etiam Rectorem Hospitalis hujusmodi, cui cura Animarum eidem

Hospitali annexa incumbebat, postea tamen quam dicto Rectori de aliquo perpetuo Beneficio Ecclesiastico ad sui sustentationem sufficienti provisum, annuave similis pensio Ecclesiastica, Apostolica auctoritate reservata, seu alias congrua portio alimentaria arbitrio Ven. Fratris Episcopi Placentini, sive dilecti Filii eius Vicarii in Spiritualibus Generalis taxanda, constituta foret, amovimus ipsumque Hospitale una cum omnibus oneribus, et obligationibus ei quomodolibet injunctis, perpetuo suppressimus, et extinximus, ac in dicti Hospitalis sic suppressi, et extincti locum perpetuo itidem ereximus, et instituimus unum Collegium sub eodem Titulo, seu denominatione Sancti Lazari a memorato Julio Cardinale ejusque in regimine, et administratione hujusmodi Successoribus, regendum, et gubernandum etiam per Ministros, et Officiales sibi benevisos, ac unum Rectorem Presbyterum saecularem, eorum nutu, et arbitrio semper, et quandocumque amovibilem, etiam ad curam Animarum exercendam deputandum, de gremio tamen ipsius Collegii, post deputationem primi Rectoris ad instar nominationum, quae a Regularibus ad curam Animarum obeundam in suis Ecclesiis fieri solent, et ab Ordinario loci ad eandem curam Animarum approbandum. In quo Collegio reciperentur nedum Clerici seculares universae Dioecesis praefatae ad Sacros Ordines promovendi, ad hoc ut inibi Exercitia Spiritualia peragerent, antequam ad dictos Ordines promoverentur, solutis tamen per eos congruis alimentis pro qualitate, et conditione temporum prescribendis; sed alii etiam Clerici seculares hujusmodi praesertim

Alumni et Convictores Seminarii praedicti, inde ante absoluta studia egredientes, ab Ordinario pariter approbati, ut in eodem Collegio Sacrarum literarum ac Theologiae theoreticae, et practicae studium prosequerentur, atque Ritus Ecclesiasticos, et cantum Gregorianum sub Praeceptoribus, qui forent Presbyteri seculares Sacra pagina, ac Verbo Dei scripto, et tradito probe eruditi perdiscerent. Ita quod Alumni gratis, Convictores vero hujusmodi solutis ipsi Collegio similiter congruis alimentis, admitterentur, omnes autem Clerici praefati sub regimine Presbyterorum quoque saecularium a Julio Cardinale, et Successoribus praedictis eligendorum, et deputandorum vivere deberent; ipsique Collegio sic erecto, et instituto pro illius manutatione, ac Clericorum in eo gratis retinendorum, Rectoris, Lectorum, Magistrorum, aliorumque Ministrorum sustentatione omnia, et singula Bona, res, proprietates, et actiones ad Hospitale ita suppressum, et extinctum, illiusque Rectorem Curatum respective quoquo modo spectantia, eorundemque bonorum fructus, redditus, et proventus, qui, ut pariter acceperamus, octodecim millium librarum dictae monetae valorem annum non excedebant, in perpetuum quoque applicavimus, et appropriavimus, et alias prout in Nostris desuper sub plumbio anno Incarnationis Dominicae MDCCLXXXII tertio Idus Julii Pontificatus Nostri anno tertio expeditis Literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Ac postmodum ejusmodi Literae pro parte ipsius Julii Cardinalis eidem Ven.

Fratri Episcopo Placentino exhibitae protinus executioni demandatae fuerunt in ea parte, qua eatenus demandari poterant, facta inter alia assignatione dictarum centum quinquaginta singulis Personis, ac Ministris, mille vero librarum annuarum similis monetae Rectori Hospitalis sic suppressi, et extincti pro congrua ipsius portione alimentaria, quemadmodum in dictis Literis injunctum fuerat.

Cum autem, sicut idem Julius Cardinalis Nobis nuper exposuit, is pro magnitudine suscepti a se operis ad locum ipsum, ut cuncta ordine inspiceret, ac diserneret, accedere opportunum judicaverit, et ad majorem Dei Gloriam suis magna ex parte pecuniis manus admoveri curaverit peramplo aedificio ad usum Collegii, ut praefertur erecti, et instituti, quod prosequi, ac perficere intendit, statim ac transacta hyeme per minus rigida anni tempora licebit; ea vero occasione serio secum expensa, ac cum aliis prudentibus Viris consulta, atque discussa ratione, rem ipsam ad optatum debitumque effectum perducendi compererit haud ita facile fore tot idoneos Presbyteros seculares seorsim degentes invenire, ac ex diversis partibus accersere, qui eo, quo par est fervore, animorumque consensu, non minus annuos redditus ejusdem Collegii provide administrare, quam Clericos praefatos rite, sicut praemittitur edocere, ac instruere valeant, ac proinde vigore facultatis sibi in enarratis Literis Nostris attributae, Presbyteros Congregationis Missionis, ut pote, quae secundum ejus Institutum, et quamdam declarationem rec. mem. Alexandri Papae VII praedecessoris etiam Nostri per

suas in simili forma Brevis Literas die xxii Septembris MDCLV editam, Clero seculari aggregata existit, ad praemissa deputandos duxerit sub diversis Conditionibus cum Superioribus ipsius Congregationis Missionis ab eodem Julio Cardinale jam communicatis, perpetuoque, ac quamdiu ejusmodi Collegium duraverit, servandis, illudque consilium eo libentius amplexus sit, quod Presbyteri dictae Congregationis Missionis praecise instituti noscuntur pro instruendis, ac excolendis Personis Ecclesiasticis ultra obligationem Sacrarum Missionum, quas peragunt maxime Populis ruri degentibus, quasque per illorum in praefatum Collegium introductionem, cum eorundem Presbyterorum numerus auctus fuerit, in Terris, Castris, aliisque Locis supradictae Dioecesis Placentinae peragere poterunt, cupiatque propterea dictus Julius Cardinalis deputationem hujusmodi cum Conditionibus praefatis Apostolicae confirmationis Nostrae praesidio communiri, ac insuper decerni nullum Clericum praedictae Dioecesis ad Sacros Ordines illic promoveri posse, qui prius Exercitiis Spiritualibus in eodem Collegio per decem dies non vacaverit; Alumnos vero et Convictos in ipso Collegio pro tempore degentes, quo impensius Literarum studiis divinoque cultui incumbant, aliquo peculiari praerogativa invitari, ac donari; Nobis propterea humiliter supplicavit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Julii Cardinalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, felicesque dicti Collegii successus pro

commisso Nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere promovere, et juvare sinceris exoptantes affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, deputationem Presbyterorum Congregationis Missionis pro administratione Bonorum, ac reddituum Collegii sic erecti, et instituti, atque instructione, ac directione Clericorum in ipso Collegio pro tempore existentium ab eodem Julio Cardinali factam, seu propediem faciendam, Conditionesque ad id praescriptas infra referendas, Auctoritate Apostolica tenore praesentium itidem perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur, et efficaciam adjungimus, ac quoscumque juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerunt, seu intervenerint supplemus, et sanamus. Quae quidem Conditiones sunt quae sequuntur, videlicet.

Primo. Personae deputandae ex Presbyteris, et Laicis Congregationis Missionis numero duodenario pauciores esse nequeant, octo nimirum Presbyteri, et quatuor Laici, seu Coadjutores, isque numerus pro opportunitate, et incremento reddituum Collegii potius augendus sit, quam imminuendus.

Secundo. Presbyteri, et Laici Congregationis Missionis servitio, seu ministerio Collegii addicti, remaneant nihilominus uniti Capii et Corpori ejusdem Congregationis ac jugiter subjecti Visitationi, et Correctioni illius Superiorum Majorum, tam quoad spiritualia, quam quoad propria eorum et Collegii temporalia.

Tertio. Ad Superiores Majores Congregationis pertineat omni tempore, et quacumque occurrente occasione destinare, ac deputare tum Rectorem Col-

legii, cui incumbet exercitium curae Animarum cum facultate supplendi per alium, servata forma Litterarum Nostrarum praedictarum circa approbationem Ordinarii, et alia in eisdem Literis praescripta tum reliquos omnes Officiales, ac Personas servitio Collegii necessarias, illosque, et illas amovere, aliosque collocare prout opus, vel expediens fuerit.

Quarto. Officialibus Ministerio Collegii deputatis pro tempore, ac praecipue Rectori competat plena administratio omnium rerum temporalium ejusdem Collegii, tam praesentium, quam futurarum, ac ubicumque existentium, quin alius quisquam sese in ejusmodi Administratione immediate ingerere valeat; neque aliud eos maneat onus, sive obligatio, quam reddendi rationem suae Administrationis, tam Superioribus Majoribus Congregationis, quam ipsi Julio Cardinali, et Successoribus, quoties illam exigent.

Quinto. Nec Superiores majores, nec Rector Bona, et Capitalia Collegii nunc, et pro tempore existentia, eorumque annuos redditus alienare, distrahere, oppignorare, aut permutare valeant sine expressa licentia, et consensu eorundem Julii Cardinalis, et Successorum, sed omnia conservare, et meliorare debeant in majus commodum, et beneficium ipsius Collegii dumtaxat, ita ut, nec fructus, quovis sub pretextu, in alios usus erogare seu convertere possint.

Sexto. Rector, Officiales, aliaeque Personae, servitio Collegii destinatae ac etiam Superiores majores Congregationis (pro iis quae directionem Collegii in Spiritualibus, et temporalibus respiciunt) recognoscere debeant praeeminentem Auctoritatem, sive Superio-

ritatem Julii Cardinalis suorumque Successorum profitendo erga illos eandem dependentiam, et subjectionem, quam ipsa Congregatio profitetur quoad functiones sui Instituti Ordinariis locorum ubi adsunt ejus Domus; et inter alia ipsi Julius Cardinalis, et Successores, quatenus repperint Rectorem, vel alios destinatos ministerio Collegii in aliquo deficientes, vel culpabiles, petere valeant a Superioribus majoribus eorum amotionem, et aliorum subrogationem in locum amotorum, et si id sine rationabili causa sibi denegaretur, illos propria Auctoritate, ac superioritate praefata removere; haecque facultas Julio Cardinali, et Successoribus reservata censeatur etiam circa Alumnos, Convictos, et Ordinandos juxta formam quoad istos dictarum Nostrarum Literarum.

Septimo. Rector, Officiales, aliaeque Personae, Congregationis servitio ejusdem Collegii, tam in ipsius aperitione, quam progressu temporis destinandae, non solum uniti, et unitae Capiti et Corpori Congregationis remanere debeant, ut praefertur, sed etiam specialiter aggregati, et aggregatae sint, et esse censeantur Provinciae Romanae pro necessaria, faciliorque communicatione inter Julium Cardinalem, et Successores, ac Visitatorem pro tempore Provinciae hujusmodi, qui verisimiliter in Urbe resident, ubi commode de rebus bonum gubernium Collegii concernentibus una deliberare, et agere poterunt.

Octavo. Pro prospero regimine Collegii in eisdem Spiritualibus, et Temporalibus liceat Superioribus Majoribus Congregationis, cum scientia tamen semper et approbatione Julii Cardinalis, et Successorum,

Regulas, seu Statuta condere circa normam, seu modum vivendi, conversandi, ac se se gerendi in Collegio, illasque, et illa successu temporis, quotiescumque necesse fuerit, mutare, alterare ac variare, quae accurate in omnibus observari debeant, proinde ac si a Nobis sigillatim approbatae seu approbata fuissent.

Porro nonnullorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo eadem auctoritate Apostolica harum serie statuimus et ordinamus, quod deinceps nemo ad aliquem ex Sacris Ordinibus in Civitate, et Dioecesi Placentina assumatur, nisi prius (praeter ea, quae a Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis constituta sunt) ad minus per decem dies in Collegio praefato, postquam apertum fuerit, inclusus Spiritualibus Exercitiis vacaverit, ac de omnibus ad digne suscipiendum, et rite exercendum Ordinem hujusmodi eruditus fuerit, et de hoc Literas Testimoniales Presbyterorum dictae Congregationis Missionis ad ipsum Ordinarium detulerit, sub poena adversus contrafacientes suspensionis ab executione Ordinum aliter susceptorum, et alias prout a supra dicto Alexandro praedecessore quoad initiandos eisdem Sacris Ordinibus in Urbe, ac sex Episcopatibus suburbicariis, per suas pariter in forma Brevis die VII Augusti MDCLXII expeditas Literas sancitum reperitur. Caeterum quo tam Alumni, quam Convictores Collegii praefati pro tempore existentes, etiam praemii laborum suorum aliquando consequendi spe excitati, eo alacrius memoratis studiis, Sacrisque, et Ecclesiasticis disciplinis assiduam operam impendant,

eosdem Alumnos, et Convictos, qui per aliquot annos in dicto Collegio laudabiliter versati studiis, et disciplinis praefatis sedulo, ac cum progressu incubuerint, et alias idonei fuerint, in collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum, quibus imminet cura Animarum, ac praesertim de quibus per concursum juxta Decreta Concilii Tridentini providendum est, caeteris paribus, ac in aequalitate suffragiorum aliis anteferri volumus, et mandamus, salva, ac servata in reliquis omnibus, et singulis, quae praesentibus non adversantur praefatarum Literarum Nostrarum forma, et dispositione.

Decernentes, ipsas praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque semper, ac perpetuo firma, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Caussarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosque quoslibet quacumque praeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super praemissis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit,

praefatae Congregationis Missionis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, nec non omnibus, et singulis illis, quae in prioribus Literis Nostris praedictis concessa sunt non obstare caeterisque contrariis quibuscumque. = Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 3 Februarii 1733 Pontificatus Nostri anno tertio. F. Card. Oliverius. =

**CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.**

CLERICALEM VITAM eligentibus, sanctisque Ecclesiae regulis, et doctrinis a primo aetatis flore imbuendis opem, ac strenuam manum admovere cogitantibus Apostolicum adesse praesidium maxime convenit ne ullus adversitatis incursus futuros Dei Ministros a proposito revocet, neve umquam, in eorum animis, quod absit, robur sacrae institutionis infringat.

Cum itaque Nos alias Hospitale Pauperum Sancti Lazari prope, et extra moenia Civitatis Placentinae Provinciae Bononiensis, Placentinae Dioecesis, Provinciae praefatae, quod ad vitam regi, et gubernari consuevit, et quod bon. mem. Carolus dum viveret S. R. E. Cardinalis Colligola nuncupatus in Commissionem ad sui vitam ex concessione Apostolica, etiam dum viveret, obtinebat, tunc per obitum dicti Caroli Cardinalis illius pariter, dum viveret ultimi Administratoris, seu Rectoris apud Sedem Apostolicam defuncti Administratore, seu Rectore carens dilecto Filio Nostro tituli

Sancti Chrysogoni ejusdem S. R. E. Presbytero Cardinali Alberono etiam nuncupato per eum, quoad viveret, juxta Constitutionem fel. recor. Clementis P.P. V. Praedecessoris Nostri in Concilio Viennensi aeditam, tenendum, regendum, et administrandum, Apostolica Auctoritate commisserimus, et super ejusdem Hospitalis fructibus, redivibus, et proventibus pensionem annuam certis modo, et forma tunc expressis, liberam, immunem et exemptam centum quinquaginta Scutorum monetae Romanae dilecto etiam Filio Cajetano Cardoni Clerico Romano, seu alterius Civitatis, vel Dioecesis Cappellae Pontificiae Nostrae Clerico a secretis, eidem Cajetano, quoad viveret, vel ejus Procuratori legitimo par dictum Julium Cardinalem, et Successores suos Hospitale praefatum pro tempore quomodolibet obtinentes annis singulis in certis loco, et terminis ac sub certis modo, et forma etiam tunc expressis, integre persolvendam, dicta Apostolica auctoritate reservaverimus prout in diversis Nostris desuper expeditis Literis plenius continetur, et subinde per nos accepto quod dictum Hospitale olim quidem pro Leprosis curandis destinatum fuerat; verum ubi morbus hujusmodi per Italiam grassari desierat, vice et loco Leprosorum hujusmodi egeni primum, et infirmi Senes in eodem introduci coeperunt, ac demum postremis temporibus utriusque sexus, atque cujusvis aetatis pauperes Civitatis, et Dioecesis Placentinae Provinciae praefatae passim receptarentur, adeo ut etiam idem Hospitale aliquando non modicum utilitatis, et levamenti pauperibus Civitatis, et Dioecesis Placentinae Provinciae praefatae

hujusmodi attulisset; progressu tamen temporis ex diversitate sexus, et aetatis in eo commorantium non levia incommoda orta essent, ipse vero Julius Cardinalis, qui in dicta Civitate Placentina ortus, et educatus erat, ac Hospitale praedictum in meliorem, et longe utiliore statum, publicumque Ecclesiae bonum, tum ejusmodi Hospitalis proventibus, tum aere suo convertere, priscamque in Ecclesiasticis Ministris disciplinam, et mores pro dignitate, quantum in se erat, in Patria sua reparare, atque instaurare sibi proposuerat, ex dicto Hospitali Collegium pro Clericis secularibus universae Dioecesis Placentinae Provinciae praefatae, qui Spiritualibus Exercitiis vacare debebant priusquam ad Sacros Ordines promoverentur, quique ante completa literarum studia e Seminario Ecclesiastico Placentino Provinciae praedictae egrediebantur, nec non pro Alumnis seu Convictoribus tam dicti Seminarii, quam totius Dioecesis Placentinae Provinciae praefatae studiis Ecclesiasticis, Sacrisque Ritibus itidem imbuendis erigi, et institui summopere desiderabat.

Nos pium, et laudabile ejusdem Julii Cardinalis propositum plurimum in Domino commendantes motu pari, et certa scientia Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnes, et singulas Personas, quae tunc in eodem Hospitali reperiiebantur, assignata prius cuilibet earum annua praestatione ad earum vitam duratura centum quinquaginta librarum monetae Placentinae Provinciae praefatae, nec non Ministros dicti Hospitalis, retentis tamen ex eis, quos dictus Julius Cardinalis servitiis Collegii, ut infra

erecti, aptos et idoneos judicaret, atque etiam Rectorem ejusdem Hospitalis, cui cura Animarum eidem Hospitali annexa imminabat, postquam tamen eidem Rectori de aliquo perpetuo Beneficio Ecclesiastico ad congruam sui sustentationem sufficienti provisum vel Pensio annua perpetua Apostolica Auctoritate reservata, seu congrua portio alimentaria arbitrio Venerabilis Fratris Episcopi Placentini Provinciae praefatae, sive dilecti etiam Filii ejus Vicarii in Spiritualibus generalis taxanda, constituta foret, perpetuo amoverimus, ipsumque Hospitale cum omnibus, et singulis ejus oneribus, et obligationibus quomodolibet injunctis, piis operibus in vim cujuscumque etiam testamentariae dispositionis etiam causa mortis confectae, et in executione ultimarum voluntatum, nec non commune, et publicum bonum, ac commodum respicientis, aut alias omnino adimplendae, etiam vigore cujusvis contractus, consensu dicti Julii Cardinalis Nobis desuper tunc praestito, Apostolica Auctoritate praefata etiam perpetuo suppresserimus, ac in dicti Hospitalis sic suppressi, et extincti locum unum Collegium sub denominatione, et titulo ejusdem Sancti Lazari per dictum Julium Cardinalem, et ejus in regimine, et administratione Hospitalis sic suppressi, et extincti hujusmodi Successores perpetuo regendum, et gubernandum et per Ministros, et Officiales sibi benevisos, ac unum Rectorem Presbyterum secularem Julii Cardinalis, et Successorum praefatorum nutu, et arbitrio semper, et quandocumque amovibilem, etiam ad curam Animarum exercendam deputandum, de gremio tamen post deputationem primi Rectoris

Collegii, ut infra, erecti hujusmodi ad instar nominationum, quae a Regularibus pro assumendis Presbyteris ad curam Animarum in eorum Ecclesiis Parochialibus fieri solent, et ab Ordinario loci ad eandem curam Animarum exercendam approbandum, qui etiam curam Animarum Parochianorum Parochialis Ecclesiae Sancti Lazari dictae Civitatis Placentinae Provinciae praefatae, dicto Hospitali, ut praefertur suppresso, et extincto canonice unitae, exercere deberet, dicta obligatione quoad tunc existentem dicti Hospitalis sic suppressi, et extincti Rectorem praefatum firma remanente, in quo quidem Collegio, ut infra, erecto reciperentur nedum Clerici saeculares universae Dioecesis praefatae ad Sacros Ordines promovendi ad hoc, ut in eo Spiritualia Exercitia antequam ad Sacros Ordines praedictos promoverentur rite peragere valerent, quique Collegium, ut infra, erectum hujusmodi cum approbatione pro tempore existentis Episcopi, seu Vicarii praefatorum admitti deberent, et pro eorum alimentis durantibus Exercitiis hujusmodi congruam, debitamque praestationem juxta temporum opportunitate solvere tenerentur ac etiam alii Ecclesiastici saeculares ex Seminarii Placentini Provinciae praefatae Alumnis, et Convictoribus ab Ordinario praedicto pariter approbandi ad hoc, ut in eo Sacrarum literarum ac Theologiae Theoretice, et practicae studia prosequerentur, Ritusque Ecclesiasticos, Sacrasque Caeremonias, et Cantum Gregorianum sub Praeceptoribus, qui essent Presbyteri saeculares in Sacra Pagina, et Verbo Dei tradito, et scripto probe eruditi

perdiscerent; ita tamen, quod Alumni *gratis*, Con-
 victores vero Seminarii hujusmodi sub justo annuo
 stipendio reciperentur; omnes vero Clerici in Colle-
 gio, ut infra erecto hujusmodi recipiendi, sub regi-
 mine Presbyterorum secularium a dicto Julio Cardi-
 nali, et Successoribus praefatis eligendorum et de-
 putandorum vivere tenerentur Apostolica Auctoritate
 praefata motu pari pariter perpetuo erexerimus, et
 instituerimus, ipsi quoque Collegio sic erecto, et
 instituto pro illius, ac Clericorum in eo retinendorum,
 nec non Rectoris, Praeceptoris, Magistrorum, alio-
 rumque Ministrorum praefatorum sustentatione om-
 nia, et singula Bona, res proprietates, et actiones
 ad Hospitalis sic suppressum, et extinctum hujusmo-
 di, illiusque Rectorem Curatum praefatum respective
 antea quomodolibet spectantia tantum, illis ab omni-
 bus, et quibuscumque oneribus, et obligationibus
 quorumcumque piorum operum adimplendorum a-
 pie testantibus, aliisque Christifidelibus praefatis
 causa mortis, aut in actu donationum, quae dicuntur
 fieri inter vivos quomodolibet injunctis penitus et
 omnino per Nos tunc exemptis, et liberatis, illorum-
 que omnium, et singulorum fructus, redditus et pro-
 ventus, qui antea in Hospitalis sic suppressi, et ex-
 tincti hujusmodi usu impendebantur, ita ut liceret
 dicto Julio Cardinali, sive ejus Procuratori legitimo
 bonorum, rerum, actionum, et proprietatum hujus-
 modi veram, realem, et actualem possessionem no-
 mine dicti Collegii, ut praefertur, erecti et instituti
 apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, Dioe-
 cesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper mi-

nime requisita, eadem Apostolica Auctoritate similiter perpetuo applicaverimus, et appropriaverimus, et insuper voluerimus, quod dictus Julius Cardinalis, ejusque Successores praefati perceptione omnium, et singulorum fructuum, redituum, et proventuum usque tunc per eundem Julium Cardinalem ex Hospitali, ut praefertur, suppresso et extincto hujusmodi percipi solitorum, ac juribus, et pertinentiis universis, quibus ipse Julius Cardinalis ratione ejusdem Hospitalis, ut praefertur, suppressi et extincti eatenus gavisus fuerat, nec non plena, et omnimoda jurisdictione super Collegio, ut praefertur, erecto et instituto hujusmodi frui, et gaudere libere, et licite possent, et valerent, prout in aliis Nostris sub datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo trigesimo secundo tertio idus Julii Pontificatus Nostri anno secundo expeditis Literis etiam plenius continetur, quae quidem posteriores Literae Venerabili Fratri Episcopo Placentino Provinciae praefatae exhibitae protinus executioni demandatae fuerunt in ea parte, qua eatenus demandari poterant, facta inter alia assignatione dictarum centum quinquaginta singulis Personis, ac Ministris, mille vero librarum annuarum dictae moneetae Placentinae Provinciae Praefatae, Rectori Hospitalis sic suppressi, et extincti hujusmodi pro congrua eorum respective portione alimentaria, quemadmodum in dictis posterioribus Literis injunctum fuerat.

Cumque postmodum, sicut idem Julius Cardinalis Nobis tunc exposuerat, ipse pro magnitudine suscepti a se operis ad locum ipsum, ut cuncta ordi-

ne inspiceret et dignosceret, accedere opportunum judicaret ad majorem Dei Gloriam suis propriis sumptibus, et expensis manus admoveri curaret per amplo aedificio ad usum Collegii, ut praefertur, erecti, et instituti, quod prosequi, et perficere intendebat statim ac transacta hyeme per minus rigida anni tempora liceret, ea vero occasione serio secum perpensa, ac cum aliis prudentibus Viris consulta, atque discussa ratione rem ipsam ad optatum debitumque effectum perducendi, cum comperiisset haud ita facile fore tot idoneos Presbyteros seculares seorsim degentes invenire, ac ex diversis partibus accersere, qui eo, quo par esset fervore, animorumque consensu, non minus annuos redditus ejusdem Collegii provide administrare, quam Clericos praefatos in Collegio, ut praefertur, edocere, et instruere valerent, ac proinde vigore facultatis sibi in praefatis posterioribus Nostris Literis attributae Presbyteros Congregationis Missionis utpote quae secundum eorum Institutum, et quamdam declarationem rec. mem. Alexandri PP. VII etiam Praedecessoris Nostri per sui Literas in forma Brevis sub die vigesima secunda mensis septembris anni Domini millesimi sexcentissimi quinquagesimi quinti aeditam Clero seculari aggregata existit, aliisque tunc expressis de causis, ad praemissa deputandos duxisset sub diversis conditionibus cum Superioribus ipsius Congregationis Missionis ab eodem Julio Cardinale tunc jam communicatis perpetuoque servandis, ejusdem Julii Cardinalis votis ea in parte favorabiliter tunc annuentes, felicesque Collegii, ut praefertur, erecti et instituti

hujusmodi successus promovere volentes, ac supplicationibus pro parte dicti Julii Cardinalis Nobis super hoc tunc humiliter porrectis benigne inclinati, deputationem dictorum Presbyterorum dictae Congregationis Missionis pro administratione Bonorum, ac redituum Collegii sic erecti, et instituti hujusmodi, atque instructione, et directione praefatorum Clericorum in ipso Collegio admittendorum pro tempore ab eodem Julio Cardinale tunc factam, conditionesque ad id praescriptas, et tunc expressas, eadem Apostolica Auctoritate itidem perpetuo approbaverimus et confirmaverimus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjunxerimus, ac quoscumque juris, vel facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerant, suppleverimus, et sanaverimus, et insuper nonnullorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo eadem Apostolica Auctoritate statuerimus, ac ordinaverimus in dictis Civitate, et Dioecesi Placentin. Provinciae praefatae nullum Clericum ad Sacros Ordines illic promoveri posse, nisi prius, praeter ea, quae a Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis constituta sunt, ad minus per decem dies in Collegio, ut praefertur, erecto et instituto hujusmodi, postquam apertum fuisset, inclusus Spiritualibus Exercitiis vacavisset, et de omnibus ad digne suscipiendum, et rite exercendum Ordines hujusmodi eruditus fuisset, et de hoc Literas testimoniales Presbyterorum dictae Congregationis Missionis in Collegio, ut praefertur, erecto et instituto hujusmodi pro tempore existentium ad Ordinarium loci detulisset.

Caeterum, quo tam Alumni, quam Convictores Collegii, ut praefertur, erecti et instituti hujusmodi, pro tempore existentes etiam premii laborum suorum aliquando consequendi spe excitati, eo alacrius memoratis studiis, Sacrisque et Ecclesiasticis disciplinis assiduam operam impenderent, eosdem Alumnos, et Convictores, qui per aliquot annos in dicto Collegio, ut praefertur erecto et instituto laudabiliter versati studiis, et disciplinis praefatis sedulo, ac cum progressu incumbuissent, ac alias idonei forent, in collatione Beneficiorum Ecclesiasticorum, quibus immineret cura Animarum, ac praesertim de quibus juxta Decreta Concilii Tridentini per concursum providendum esset, caeteris paribus, ac in aequalitate suffragiorum aliis anteferri voluerimus, et mandaverimus, prout in aliis Nostris desuper in forma Brevis sub datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die tertia mensis Februarii anni ejusdem Domini millesimi septingentesimi trigesimi tertii Pontificatus Nostri anno tertio expeditis Literis etiam plenius continetur.

Nos nunc attendentes per suppressionem, et extinctionem per Nos factas, et executioni demandatas hujusmodi nullum titulum collativum, nullamque Commissionem, seu Commendam in dicto Hospitali, ut praefertur suppresso et extincto remansisse, seu illum, et illam continuare dubitari posse, proptereaque post obitum dicti Julii Cardinalis nullos adfuturos in regimine, et administratione dicti Hospitalis, ut praefertur, suppressi et extincti Successores, ac etiam attenta magna impensa per dictum Julium

Cardinalem in constructione Fabricae Collegii, ut profertur, erecti et instituti hujusmodi facta, et propterea quamcumque ambiguitatem de medio tollere, dictique Collegii erecti et instituti, ut praefertur, stabilimento consulere volentes, ac singularum dictarum Nostrarum Literarum tenores etiam veriores, ac datam, dictique Hospitalis, ut praefertur, suppressi et extincti foundationem, et institutionem, etiam si illae Apostolica Auctoritate praedicta confectae fuissent, ipsiusque Hospitalis Statuta eadem Auctoritate etiam pluries confirmata et approbata, ac pias ultimas voluntates quascumque quorumcumque pie testantium, et donationes, ac largitiones Christifidelium in Hospitalis, ut praefertur, suppressi et extincti favorem quandocumque, et cum quibusvis oneribus, et obligationibus, etiam per viam cujusvis contractus nominati vel innominati, ac speciem transactionis habentis, ac alias quomodolibet factas pro plene, et sufficienter expressis habentes, illarumque omnium, et singularum dispositionibus, contractibus, transactionibus, conventionibus quantumvis validis, et efficacibus, et pias, publicasque causas, respicientibus, ac validi inter pie testantes, et Christifideles praefatos, ac Hospitale, ut praefertur suppressum, et extinctum hujusmodi, initi contractus vim habentes, ac alias quomodolibet stipulatis, derogantes motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus dictum Hospitale jam, ut praefertur, per Nos suppressum et extinctum, cujus et illi etiam annexorum fructus, reditus et proventus octingentorum Ducatorum auri de Camera secundum comunem aestimationem valorem

annuum, ut accepimus, non excedunt, omnemque illius titulum, et essentiam, ac omnia et singula ejus onera, et pia opera praefata in vim cujuscumque etiam testamentariae dispositionis, etiam causa mortis confectae et in executionem ultimarum piarum voluntatum, nec non commune et publicum bonum respicientis, aut alias omnino adimplendae dicta Apostolica Auctoritate etiam perpetuo de novo supprimimus, et extinguimus, ac erectionem, et institutionem Collegii, ut praefertur, erecti et instituti per Nos, ut praefertur, factas hujusmodi Apostolica Auctoritate pariter perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque Apostolicae firmitatis robur adiciamus omnesque, et singulos tam juris, quam facti, aliosque quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus, et quatenus opus sit Collegium ipsum, ut praefertur erectum et institutum de novo erigimus et institui-mus, ipsique Collegio, ut praefertur erecto, et instituto, pro illius dote, ac Clericorum in eo pro tempore retinendorum, nec non Rectoris, Praeceptorum, Magistrorum, ac Ministrorum, et Officialium inibi pro tempore existentium substantiatione omnia, et singula dicti Hospitalis sic suppressi, et extincti Bona, res, proprietates, actiones, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque in quacumque re consistentia, ac undequaque, et quomodocumque provenientia, ac ad Hospitale sic suppressum, et extinctum hujusmodi, illiusque Rectorem Curatum, nec non Ministrum, seu Administratorem, aliosque ejusdem Hospitalis sic suppressi et extincti

Ministros, seu Officiales quocumque nomine nuncupatos quovis titulo ac quacumque ratione spectantes, et pertinentes, illa omnia, dictumque Collegium, ut praefertur, erectum et institutum ab omnibus, et quibuscumque oneribus, et obligationibus quorumcumque piorum operum adimplendorum a pie testantibus, aliisque Christifidelibus praefatis, etiam causa mortis, aut actu donationum, quae dicuntur fieri inter vivos, aut alias quomodolibet injunctis penitus, et omnino eximentes, et totaliter liberantes, ita quod liceat dicto Julio Cardinali, sive futuris ipsius Collegii, ut praefertur, erecti et instituti Rectori, vel Officialibus, seu Ministris per se, vel alium, seu alios dicti Collegii, ut praefertur, erecti et instituti nomine Bonorum, rerum, proprietatum, actionum, fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, et emolumentorum praefatorum veram, realem, corporalem, et actualem possessionem libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, et proventus percipere, exigere, levare, recuperare, locare, dislocare, arrendare, affictare, ac in dicti Collegii, ut praefertur, erecti et instituti usus, et utilitatem convertere, Dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, reservatis tamen dicto Julio Cardinali, quoad vixerit, omnibus et singulis fructibus, redditibus, et proventibus antea per dictum Hospitale pro tempore obtinentes percipi solitis, quos ipse Julius Cardinalis ut prius, etiam quoad vixerit, percipere, exigere, levare, ac in suos usus, et utilitatem convertere libere, et licite valeat, ac firma et illaesa remanente dicta pensione per

dictum Julium Cardinalem pariter, quoad vixerit, ac fructus, reditus, et proventus sibi, ut praefertur, reservatos hujusmodi perceperit, et deinde per Collegii, ut praefertur, erecti et instituti hujusmodi Rectorem pro tempore existentem praedicto Cajetano, ejus vita naturali durante, ut antea persolvenda, et non alias dicta Auctoritate Apostolica, cum hoc tamen, quod Alumni in Collegio, ut praefertur, erecto et instituto hujusmodi ad effectum inibi Theologiae Scholasticae, et Moralis studia prosequendi, ac Sacras Ecclesiasticas functiones discendi pro tempore gratis admittendi eligi debeant ex Alumnis tantum, non autem Convictoribus dicti Seminarii praelative quoad omnes alios, ea tamen conditione, quod admitti nequeant absque approbatione pro tempore Episcopi, seu Vicarii praedicti, et vivere teneantur sub gubernio dictorum Presbyterorum Congregationis Missionis; Ordinandi autem in eodem Collegio, ut praefertur, erecto et instituto pro tempore admittendi pro explendis Exercitiis Spiritualibus pariter admitti nequeant absque approbatione Episcopi, seu Vicarii praefati, et pro eorum alimentis congruam, et debitam praestationem juxta temporum opportunitatem, prout jam in dictis Literis super prioribus suppressione, extinctione, erectione, institutione, applicatione, et appropriatione praefatis, ut praefertur, expeditis praescriptum fuerat, solvere teneantur similiter perpetuo. motu simili etiam de novo applicamus, et appropriamus, nec non deputationem dictorum Presbyterorum praefatae Congregationis Missionis pro administratione honorum, ac reddituum Collegii, sic erecti et

instituti hujusmodi, atque instructione, et directione Clericorum in eo pro tempore retinendorum hujusmodi ab eodem Julio Cardinale factam, seu prope diem faciendam, conditionesque ad id praescriptas, et in dictis Nostris in forma Brevis desuper expeditis Literis relatas, et a Nobis approbatas, et confirmatas, ut praefertur, et in eis contenta quaecumque, exceptis illis, quae ad dicti Julii Cardinalis in regimine et administratione dicti Hospitalis ut praefertur, suppressi et extincti Successores referuntur, quae de ipso Julio Cardinale tantum, quoad vixerit, intelligi debere decernimus et declaramus, caeteraque omnia, et singula in eisdem Nostris in forma Brevis expeditis Literis per Nos etiam, ut praefertur, statuta, ordinata, decreta, et mandata eadem Apostolica Auctoritate itidem perpetuo de novo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur et efficaciam adjungimus, ac quoscumque juris, vel facti, aliosque quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus, et sanamus, ac dicto Julio Cardinali, et futuris ipsius Collegii, ut praefertur, erecti et instituti Rectori, vel Officialibus, seu Ministri, ut ipsi absolutione Communis, seu Annatae, et Quindenniorum, aliorumque jurium Camerae, et Cancellariae Apostolicae debitorum ratione applicationis, et appropriationis praefatarum in perpetuum, exempti, et liberati existant, prout dictum Julium Cardinalem, ac futuros Rectores, et Officiales, seu Ministros praefatos tenore praesentium, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus eximimus et li-

beramus; ita ut ab eis nullo unquam tempore quidquam peti, aut praetendi possit, nec illi desuper a quoquam quavis auctoritate, nec sub quovis praetextu perturbari, molestari, aut inquietari queant, etiam motu simili concedimus et indulgemus, et ita per Congregationem super solutione Annatarum, et Quindenniorum, et jurium praefatorum Apostolica Auctoritate specialiter deputatam, et Cameram Apostolicam praefatam, ditaequae Camerae Camerarium, Thesaurarium, et Commissarium, ac etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii hujusmodi Camerariorum, et Annatarum, et Quindenniorum Judicem quemcumque nunc et pro tempore existentem, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, praesentes quoque et desuper conficiendas Literas semper, et perpetuo validas et efficaces fore et esse, et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit observari debere, nec illae ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, sive intentionis Nostrae, aut quopiam alio quantumvis substantiali defectu, etiam ex eo, quod causae, propter quas illae emanarunt sufficienter adductae, examinatae, verificatae, et justificatae, et quicumque in praemissis, et circa ea interesse quomodolibet habentes ad id vocati, et auditi non fuerint, nec iisdem praemissis consensum suum praestiterint, impugnari, retardari, invalidari, suspendi, annullari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus eas quodcumque juris, seu gratiae remedium impetrari unquam posse,

nec illas sub quibusvis similium, aut dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum ei validissimum statum restituta, repositas, et plenarie redintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandoque edenda concessas, semper, et perpetuo validas, et efficaces fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, et alios quoscumque quavis Auctoritate, et potestate fungentes, et praerogativa et privilegio fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi, et interpretandi facultate, iudicari, definirique debere, irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus, sit Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de Gratiis non concedendis adinstar, nec non de exprimendo vero annuo valore in Beneficiorum Ecclesiasticorum dismembrationibus, unionibus, et applicationibus, et Lateranensis Concilii novissime celebrati suppressiones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis ac fel. recor. Pauli II, Pauli IV, Pii V, Sixti etiam V, Urbani VIII, et Cle-

mentis X, et aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum super solutione Annatarum, et Quindenniorum, juriumque praefatorum quomodolibet editis aliisque Apostolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et Ordinationibus, dictique Hospitalis, ut praefertur, suppressi et extincti, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque et indultis, et Literis Apostolicis eidem Hospitali, ut praefertur, suppresso et extincto, illiusque Rectori, aliisque Superioribus, et Personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque in contrarium praemissorum, etiam pluries concessis, approbatis, et innovatis, nec non ejusdem Hospitalis, ut praefertur suppressi et extincti fundatione, et institutione, ac piis ultimis voluntatibus, et contractibus praefatis, quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, seu illorum totis tenoribus, et formis specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio servanda foret, eorum tenores pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse hac vice dumtaxat harum quoque serie motu simili derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod dictus Julius Cardinalis, quoad vixerit, plenam et omnimodam jurisdictionem super Collegio, ut praefertur, erecto et instituto hujusmodi habere et exercere possit et valeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae derogationis, novarum suppressionis, extinctionis, approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, defectuum suppletionis et sanationis, erectionis, institutionis, extinctionis, liberationis, applicationis, appropriationis, declarationis, concessionis, Indulti, Decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursum.

== Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo trigesimo quarto, decimo nono Kalendas Februarii Pontificatus Nostri Anno quinto. ==

Post ultimo insertas autem sub plumbo expeditas Literas idem Julius Cardinalis primum non solum omnia, si quae Operi hujusmodi ad perfectionem reducendo quomodolibet obstare potuissent impedimenta penitus removere, et e medio tollere curavit, verum etiam deinde nonnullis Dilectis Filiis Presbyteris Secularibus Congregationis Missionis servandum tradidit autenticum suum Chirographum tenoris sequentis.

== NOI GIULIO DEL TITOLO DI S. GRISOGONO
DELLA SANTA ROMANA CHIESA PRETE CARD.^o ALBERONI.

== Avendo da lungo tempo desiderato di giovare con qualche Opera insigne alla Città di Piacenza nostra Patria, e sua Diocesi, siamo stati in sen-

timento non esservi miglior mezzo, che procurare la buona educazione del Clero, specialmente di quelli Chierici, che sono in stato di essere promossi a Sacri Ordini per renderli con la pietà, e con lo studio Ministri idonei della Santa Chiesa nel culto di Dio, e nella salute dell'anime, sapendo che dalla bontà e scienza degli Ecclesiastici dipende il buon costume, e salute de' laici. Perciò abbiamo con ben considerabile spesa fatto fabbricare un ampio Edifizio vicino alla detta Città nel luogo detto Parrocchia di S. Lazzaro già anticamente Ospedale de' Lebrosoi conceduto benignamente dalla Santità di Nostro Signore PP. Clemente XII felicemente regnante con atto di totale soppressione del detto Ospedale per erigervi ed instituirvi secondo la nostra intenzione un Collegio di Chierici, come dalla Bolla data sotto li 13 Luglio 1732. Siamo però molto tempo stati in dubbio quanto all'elezione delle persone, che dovessero dirigere questa grande opera; ma Iddio Padre dei lumi ci ha santamente ispirato di prescegliere li RR. Sacerdoti della Congregazione della Missione fondata da S. Vincenzo de' Pauli, la quale ha per proprio istituto non solamente di fare le Missioni alli poveri della campagna, ma anco d'impiegarsi nella educazione del Clero, e particolarmente nella direzione di questi Collegi, o siano Seminarii di Chierici adulti con grande vantaggio della Chiesa di Dio, come si vede in quelle Città e Diocesi dove sono istituiti sotto la loro direzione; e benchè questa nostra deputazione sia stata dalla medesima Santità Sua molto commendata, approvata, e confer-

mata con Breve dato sotto li 3 Febbraio 1733, e con Bolla sotto li 14 Gennaio 1734 ; per maggior cautela però ed in quanto faccia di bisogno, e non altrimenti ecc. con il presente chirografo in adempimento sempre maggiore della volontà di Sua Santità, e nostra con tutto il piacere, e pienezza del nostro spirito elegiamo, nominiamo, deputiamo e vogliamo che si abbiano per eletti, nominati e deputati li predetti RR. Sacerdoti della Congregazione della Missione in Direttori ed Amministratori perpetui, sì nello spirituale che nel temporale del detto Collegio con tutti e singoli pesi ed obblighi, e con tutte e singole facoltà, prerogative, onori, immunità, ed esenzioni contenute e contenuti, ed ampiamente espressi nelli mentovati Brevi e Bolle, riservata però a noi nostra vita naturale durante la nostra prerogativa, e piena giurisdizione di comandare sopra detto Collegio, come in detto Breve e Bolle, e non altrimenti. = Dato in Roma dal Palazzo della nostra solita abitazione li 2 Agosto 1737, e sigillato in cera rossa col nostro solito sigillo piccolo.

= Giulio Cardinale Alberoni. =

Hiscæ autem ita, ut præmittitur positis, decimus quartus jam ab impetrata hujusmodi Hospitalis suppressione, et incepta Collegii præfati erectione, et nonus a præinserti Chyrographi traditione vertitur annus, et interea temporis ipse Julius Cardinalis, quamvis nihil certe reliquum fecit, quod non præstiterit, aut non præstare pergat, tum quoad aedificia, sive instauranda, sive de novo a fundamentis excitanda et amplificanda, tum quoad suppellectilia, aliaque commoda pro Collegio præfato, et pro ejusdem Ecclesia necessaria et opportuna, ut tantum ac tam utile opus improbis laboribus, ac summis dispendiis urgeret, ab-

solveretque: tamen propter asperam temporum conditionem, hactenus nec de aperto hujusmodi Collegio laetari, nec speratis suorum laborum et ingentium expensarum fructibus gaudere potuit.

Nos sane, quibus dum in minoribus essemus ad Seminariorum Collegiorumve erectiones juxta Concilii Tridentini normam universis Catholicis Antistitibus propositam praescriptamque advigilantibus nihil accidere poterat jucundius, nihil gratius, quam cum Seminarium sive Collegium aliquod de novo fundatum instructumque celebrari inaudiremus, maximopere gratulari caepimus Provinciae nostrae Bononiensi.

Verum Nos inter spem metumque ancipites ob tam diuturnam moram jam dudum etiam post aditum Sacrosancti Apostolatus onus haerentes ipsa tandem, quae per tot annos eundem Julium Cardinalem suorum votorum impotem reddere pergit rerum ac temporum vicissitudo impulit, ut, attenta laudati Julii Cardinalis propecta aetate, ac tot tantisque casibus, propter quos de die in diem litibus dissensionibusque exortis quamplurima suscepta ejusmodi opera, nec confecta penitus interire non sine maximo publicae utilitatis detrimento contigit, attentis, ad salutare aliquod Apostolicae providentiae potestatisque nostrae huic negotio, si quid contra quocumque tempore acciderit, transigendo opportuna adhibendum serio cogitaremus.

Itaque praevia nostra earundem praeinsertarum ejusdem Clementis Praedecessoris Literarum quoad omnia et singula, quae hisce praesentibus nostris in forma Brevis Literis non adversantur, et praeinserti pariter Chyrographi saepe dicti Julii Cardinalis, quatenus opus sit, approbatione et confirmatione, ac omnium et singulorum juris et facti, si qui desuper intercesserint, defectuum sanatione, tibi, dilecte fili, sive tibi, venerabilis frater, earundem praesentium tenore Apostolica Auctoritate cum facultatibus necessariis et opportunis committimus et mandamus, ut si contingat ipsum Julium Cardinalem viam universae carnis ingredi, nec ante suum obitum Collegium apertum esse, nec congruentem necessariamque pecuniarum revera exigendarum pro ejusdem Collegii aperature sub iisdem prorsus modo et forma per eundem Julium Cardinalem memorato Clementi Praedecessori, ut praemittitur, expositis, testamentariam dispositionem factam esse, statim Collegium hujusmodi, tam quoad omnia et

singula bona, redditus, proventus, et commoda prius quidem ad Hospitale jam suppressum et extinctum, nunc vero ad ipsum Collegium, ut praemittitur, spectantes et spectantia, una cum aedificiis de novo instauratis, a fundamentis ab ipso insimul Julio Cardinale erectis et amplificatis, nec non suppellectilibus omnibus sacris profanisque, tam pro dicti Collegii, ejusque Ecclesiae servitio comparatis et addictis, sive interea temporis comparandis et addicendis, conjunctas et conjuncta spectare, atque adeo ad ipsos Saeculares Presbyteros Congregationis pertinere statuas, decernes et mandes, ac statutum, decretum et mandatum esse, ac fore a nobis Auctoritate Apostolica nostra earumdem praesentium tenore denunties, proponas et declares, nec non eosdem saeculares Presbyteros Congregationis Missionis in realem et personalem eorundem omnium antedictorum Bonorum, jurium et suppellectilium possessionem immittas, statuas et confirmes, atque immissos, statutos et confirmatos declares, ac contra quoscumque quacumque Auctoritate et jure munitos contradictores tuearis et in ejusmodi possessione pacifica saepe dictos Presbyteros saeculares manuteneri facias et cures.

Quoniam autem fieri potest, ut nulla testamentaria dispositione ac nulla congruenti et necessaria pro obligationibus et conditionibus in praeinsertis literis expresse injunctis et per memoratos Presbyteros saeculares adimplendis annua pecuniarum summa per laudatum Julium Cardinalem relicta, ipse ex humanis excedat; eapropter nos volumus et mandamus, ut iidem Presbyteri saeculares tunc pro tempore existentes et Collegium hujusmodi administrantes ad sequentes dumtaxat conditiones omnino adimplendas in perpetuum teneantur et obstricti sint; nimirum.

I. Decem pauperes Clericos ejusdem Civitatis et Dioecesis Placentinae gratis in dictum Collegium recipiendi, in eoque per triennium completum dumtaxat tenendi, educandi, instruendi, et eisdem alimenta suppeditandi, cum facultate etiam alios quoscumque, sive ejusdem, sive alterius cujusvis Civitatis et Dioecesis Clericos, dummodo statutam pro Clericis hujusmodi annuam pecuniarum summam reipsa contribuant et solvant, etiam recipiendi et retinendi per id tempus quantum ipsis Presbyteris saecularibus visum fuerit. Alumni autem hujusmodi, sive Clerici gratis

recipiendi et retinendi per vices sive successive nominentur semper quidem a tunc et pro tempore existente Antistite Placentino, dummodo saltem ad Theologiam moralem audiendam, Sacros Ordines et omnino Presbyteratum suscipiendos et ad aeternam animarum salutem suis laboribus procurandam apti, idonei habilesque videantur, habeantur et re ipsa sint; ejici vero et expelli possint et debeant a tunc et pro tempore existente Collegii praefati Rectore, sive Superiore si omnes, qui invalidi, desides, discoli, incorrigibiles, inutiles ineptique ad praemissa videntur, habentur et re ipsa sunt.

II. Ut post dicti Julii Cardinalis obitum, adeptamque praefati Collegii possessionem, iidem Presbyteri saeculares statim ipsum Collegium pro Alumnis et Convictoribus admittendis retinendisque aperiant.

III. Ut Clericos ad Ordines promovendos ad Spiritualia Exercitia juxta Apostolicas praescriptiones peragenda admittant.

IV. Ut ad Missiones juxta sui instituti rationem et munus per dioecesim Placentinam habendas re ipsa pergant.

Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et in integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non alias in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores et ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac quosvis alios quacumque praeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus iis omnibus, quae idem Clemens Praedecessor in praesentibus literis voluit non obstare, atque ipsis praesentibus Clementis Praedecessoris literis, quoad ea omnia, quae in hisce praesentibus a nobis statuta continentur, nec non ultima dicti Julii Cardinalis, si quid contra a nobis, ut praemittitur, statuta, et in iisdem praesentibus contenta, disposuerit ultima voluntate, quam nunc et pro tunc tenore et Auctoritate pari-

bus, quoad praemissa dumtaxat, commutamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earundem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et Sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. = Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xxiii Februarii MDCCXLVI Pontificatus Nostri Anno Sexto =

Duplicatum. CAJETANUS AMATUS.



LEGES

Alumnis magni Collegii S. Lazari extra Placentiae moenia Ab E.mo et R.mo DD. S. R. E. Cardinale Julio Alberoni Fundatore Munificentissimo constitutae, et ad amussim servandae; Quibus accedunt Formula Juramenti praestandi a quolibet Alumno in ejus ingressu in Collegium, et Tabella dierum vacandi a studiis perpetuo assignatorum.

Placentiae 1751 (*).

1. Matutinis precibus, ac coelestium rerum meditationi dimidia minimum hora; vespertinis autem, et examinandae conscientiae quarta horae pars tribuatur. Nemo absit; nemo statuto tempore serius accedat, nisi graviore aliquo impedimento detentus, vel maturius discedat, nisi facta a moderatore potestate discedendi.

2. Qui ad Horas Canonicas tenentur, eas certo in Sello alternatim; coeteri Officium parvum B. V. eodem ritu in alio recitabunt.

3. Sacrificio Missae intersint quotidie omnes in Collegii Templo. Sacerdoti singulis diebus singuli ex ordine ministrent. Die quolibet festo Divinis Officiis in eodem Templo frequentes adsint.

4. Asceticos libros quotidie legant per horae quadrantem. Qui vero libri vel Ecclesiasticae Doctrinae, vel bonis moribus contrarii sunt, eos retinere nec fas nec impune esto.

5. Singulis diebus Dominicis ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta cuncti accedant: praecipuis i-

(*) È questo il frontispizio della prima edizione fatta per ordine del Cardinale Alberoni.

tem Domini nostri Jesu Christi, Sanctissimaeque ejus Matris festis, nec non eo die qui Divo Lazaro Collegii Patrono sacer est, quem diem solemnī ritu colent, ac celebrabunt. Qui ad Eucharistiam accedere saepius velit, de Confessarii consilio faciat.

6. Die anniversaria Depositionis Eminentissimi Fundatoris quotannis Officium Defunctorum, unum scilicet Nocturnum cum Laudibus, ac Missam Magnam cum cantu omnes persolvant, et solemnibus ejus Parentalibus in Collegii Templo intersint.

7. Quisque cum primum in Collegium admittitur, Exercitiis spiritualibus per integros quinque dies vacet: omnes quotannis per alios totidem ante Kalendas Novembres: per decem vero singuli cum ad singulos Sacros Ordines promovendi erunt.

8. Nemini ingressus in Collegium pateat, nisi grammaticis probe imbuto, et humanis literis satis expolito.

9. Scholasticas exercitationes unusquisque diligenter frequentet. Nemo studii tempore alia in re occupatus deprehendatur. Praeceptorum autem vel Moderatoris arbitrio ad ea quisque praestanda paratus sit, quae suorum studiorum sunt propria.

10. Exteros Bibliothecae Collegii libros, cujuscumque sint generis, accipiat aut retineat nemo, nisi aperta cum venia Moderatoris. Qui secus fecerit, gravi poena puniatur; imo e Collegio illico ejiciatur, si liber pravus sit vel suspectus.

11. Quotannis ante ferias Autumnales sui quisque profectus in studiis per singulare examen coram Moderatore ac Praeceptoribus rationem reddat. Qui crassae negligentiae semel atque iterum reus fuerit, e Collegio excludatur.

12. Sacerdotio initiati Ecclesiasticas Caeremonias ac ritus perdiscant. Doctoris laurea insigniti commu-

nibus legibus nihilo secius teneantur, nec, nisi emenso studiorum omnium curriculo, dimittantur.

13. Cuncti statutis horis in cantu gregoriano se exercent: omni alio musicae genere prorsus abstineant: tibias, fides atque alia id genus ne habere quidem liceat.

14. Nemo vel inscio vel invito Moderatore e Collegio quacumque de causa egrediatur. Qui secus fecerit, ne iterum recipiatur. Cui vero id indultum fuerit, comitatus discedat incedatque, comitatus item intra praescriptum tempus redeat, neque ad cauponas, tabernasque publicas accedat.

15. Caeteris in deambulationem vel alia de causa exeuntibus, nemo domi maneat, nisi Moderator concesserit.

16. Ante et post mensam preces in Breviario Romano ad hanc rem descriptae recitentur. Singuli singulis diebus, dum prandium est, atque coena, libros legant quos pro opportunitate Moderator volet. Omnes silentio audiant: neque prius discedant a Mensae loco, quam suam quisque mappulam et caetera quae ad Mensam pertinent composuerit.

17. Una in singulas hebdomadas die, Jovis nimirum, nisi alia ob festum aliquod feria intercedat, vacare a studiis liceat. Ea die quibus oblectamentis Moderatori videbitur, animum relaxare, et quibus jusserit horis exire ad spatiandum permissum esto.

18. Feriis Autumnalibus, quarum initium erit sexto idus Septembres, finis vero quintodecimo Kalendas Novembres, iis, inquam, feriis, postquam omnes definito tempore operam studio dederunt, intra Collegium honestis aut sermonibus, aut ludis indulgeant: pomeridianis quoque deambulationibus se recreent, antemeridianis, excepto Jovis die, non liceat.

19. Cum deambulant, cum ludunt, cum colloquuntur, cum animi gratia aliud quid faciunt. custos adsit.

20. In ludis pecunia ne certetur: qui vel aleis luserit vel alio quovis ludo a sacris Canonibus vetito, sive intra Collegium hoc fecerit, sive extra, ne impune fecerit.

21. In confabulationibus sermo sit verecundus ac liberalis; convicia, probra, contentiones omnino absint. Qui de rebus obscœnis sermonem induxerit e Collegio statim exterminetur; auctor quoque discordiæ et seditiosus quilibet illico excludatur.

22. Urbanitatis quisque comitatisque in omni congressione ac consuetudine rationem habeat: privatas autem familiaritates nemo exerceat.

23. Simul ac quivis e lecto surrexerit, lectum ipsum componat: cubiculum, si opus sit, verrat, sordes ne proiciat e fenestra: munda sint omnia; supellectilem bene collocatam habeat, ejus rationem reddere paratus sit.

24. Nullus, nisi decenter vestitus, e cubiculo egrediatur. In Collegio talari tunica biretoque; extra Collegium pileo omnes utantur.

25. Externos homines, quicumque ii sint, in cubiculum admittat nemo.

